

Deus nos reconciliavit sibi per Christum.

Léctio Epístolæ secúndæ beáti Pauli apóstoli
ad Corínthios

5, 17-21

Fratres:

- ¹⁷ **S**i quis in Christo, nova creatúra;
vétera transiérunt, ecce, facta sunt nova.
- ¹⁸ Omnia autem ex Deo,
qui reconciliávit nos sibi per Christum
et dedit nobis ministérium reconciliatiónis,
- ¹⁹ quóniam quidem Deus erat in Christo
mundum reconcílians sibi,
non réputans illis delícta ipsórum;
et pósuit in nobis verbum reconciliatiónis.
- ²⁰ Pro Christo ergo legatióne fúngimur,
tamquam Deo exhortánte per nos.
Obsecrámus pro Christo, reconciliámini Deo.
- ²¹ Eum, qui non nóverat peccátum,
pro nobis peccátum fecit,
ut nos efficerémur iustítia Dei in ipso.

Verbum Dómini.